and before I have Leisure to write again, I may possibly be prevented by a better Hand, which, I hope, may put an End to a Dispute that has too long pester'd the Learned World.

But, in this, I shall be guided by your Judgment; and shall therefore, at present, take up no more of your Time, than only to profess myself,

Dear SIR,

Your most affectionate Friend,
and most obedient Servant,

Apr. 10. 1744.

James Jurin.

XI. D. Alberti Haller *Concil. Aul. & Archiatri Regis* Britann. *& Electoris* Brunsvic. *Prof. Anat. & Bot.* Gottingensis, *S. R.* Ang. *&* Suec. *Soc. Observatio de Ovarii Steatomate, & de Pilis ibidem inventis.*

Read April 12. 1744.

NON rarissimas esse hujusmodi historias non ignoro; & minus raras esse video quam e re esset generis humani, neque tamen vulgares esse, vel hæ ipsæ transactiones philosophicæ docent, in quarum fastos duo exempla inseruerunt D. *Samson* & *Tyson.*

Ancilla fuit, post longum morbum consumta, triginta fere annorum, cujus cadaver in theatrum nostrum illatum est die 24° *Januarii,* anno 1743.

Cum

The Royal Society is collaborating with JSTOR to digitize, preserve, and extend access to *Philosophical Transactions (1683-1775).* www.jstor.org

Cum corpus aperirem, continuo magnum in pelvi tumorem vidi, qui ſpem fecit graviditatis; ſed fruſtra ea ſpes fuit; uterum enim inquirens ſuo loco reperi, tumores vero duos, modica convalle diſtinctos, in ſumma pelvi utero adjacentes.

Huic tumori adnatam reperi dextram tubam, ut pene media pars membranæ tubam efficientis in tunicam morboſi corporis innata & immerſa eſſet. Tuba cæca fuit. Huic porro tumori, deinde utero, duabus laciniis omentum adhæſit, ex *Hippocratis* antiquiſſima obſervatione. Sacci etiam morboſi tunicæ paſſim hydatides adhærebant. Nihil in ſiniſtro latere præter naturam ſe habuit.

Dimenſiones omitto, quas icon exprimit. Tumorem, quem eſſe ovarium facile videbam, incidi; involucri craſſitiem reperi pene lineæ. Saccus erat undique cavus, ſepto quodam in duos loculos diviſus. In minori ſacculo materies melli ſimilis erat; ſed adipis tamen etiam ſimilis, in qua magna vis pilorum humanis ſimillimorum, fuſcorum, criſporum, pene biuncem longorum, temere hærebat. Meliceredis antiquorum certum exemplum nactus, flammæ admovi melleam maſſam; ignem ea continuo recepit, & adipis more deflagravit.

In majori loculo alterius generis purulenta materies fuit lactis ſimilis; cui innatarent fruſta quaſi pulmonis, fuſca & friabilia.

Non arduum videtur definitu, ova duo, aut veſiculas duas, morboſe in hac femina intumuiſſe, & paulatim totam ovarii capacitatem ſibi uſurpâſſe, deletis reliquis quæ minime reſiſterent veſiculis. Id difficilius videtur, qua ratione in ovario nata ſit tanta vis adipis, ad unciam forte, ſi placuiſſet eximere omnem.

omnem. Nam in ſano Ovario, ne mica veræ pinguedinis adparet. Conſtat adeo, ubicunque celluloſa tela eſt, eo aliquando pinguedinem deponi poſſe, etſi minime vulgo ſoleat. Ita in ſcroto, in pene, adipem vidi; & novi repertum fuiſſe, in tenera illa celluloſa fabrica, quæ choroidem oculi intereſt, & ſcleroticam.

Deinde quæri poteſt, quomodo pili naſci potuerint, abſque ulla vel cute, vel membrana, in qua radicati fuerint? Non ignoro etiam alibi pilos, etſi cutem perforent, in pinguedine tamen veras radices habere, quod in ſcroto & pube valde manifeſtum eſt. Sed id difficilius videtur, quomodo in loco ab epidermide remoto, involucrum tamen ſimillimum & corneum, & pellucens, in his morboſis pilis ortum ſit? & annon inde labefactetur vulgaris ſententia, cruſtam pilorum a cuticula eſſe; & demonſtretur, corticem verum pili ab ipſo cortice bulbilli continuari? Nam hos pilos fœtus deſtructi reliquias fuiſſe non videtur: etſi minime ignorem in aliis, Tyſonique imprimis caſu fuiſſe: ibi enim cum pilis dentes etiam in ovario fuerunt. In noſtra enim femina nihil quidquam de ſolidioribus corporis partibus, ſuperſtes factum eſſe, piloſque, adeo evidenter molliores, ſolos vim eam effugiſſe, quæ oſſa denteſque deſtruxerat, id quidem non ſit probabile.

Figurarum Explicatio.

Tab. III. *Fig.* 1.

A, Arteria Aorta ſuper pelvem.
B, Vena cava.
C, Pſoas ſiniſter.

 D, Omentum

D, Omentum.
E, Ejus adhæſio ad uterum.
F, Altera adhæſio ad ovarium morboſum.
G, Uterus.
H, Inteſtinum rectum.
I, Tuba ſiniſtra.
K, Ovarium ſiniſtrum obiter indicatum.
L, Tuba dextra.
M, Ejus laciniæ.
N, Ligamentum ovarii dextri.
O P, Ovarium morboſum.
O, Saccus major inferior.
P, Saccus minor.
Q Q, Hydatides externæ ſuperficiei adnatæ.

Fig. II.

A, Saccus eſt morboſus ſeorſim pictus.
A, Loculus major apertus.
B, Craſſities morboſa membranæ ovarii.
C, Materiei purulentæ pars aliqua ſuperſtes, poſtquam major pars effluxerat.
D, Loculus minor, in quo mellea pinguedo et pili.
E, Septum loculos ſeparans.
F, Hydatides.

Totus tumor cum utero in theſauris anatomicis Academiæ conſervavi.



A Scale of Inches.